

Stanislaus of Skarbimierz<sup>1</sup>

Manuscript: BJ 190, f. 315r-317r

[De sancto Stanislao]

Thema: *Statuit ei Dominus testamentum pacis.* [Sir 45,30]<sup>2</sup>

Gloriosus Deus et in sanctis suis mirabilis<sup>3</sup> superiora, media et infima potenter creavit, sapienter disposuit, racionabiliter disposita gubernavit et gubernat ponens omnia in quodam pondere et mensura certis gradibus et certis habitudinibus, certis distanciis et convenienciis adinvicem, ut alterum ab altero, dum distat et convenit, quodammodo arguat divine maiestatis magisterium, quodque homo, qui creaturarum est dignissima, in omnibus proficiat, per omnia dirigatur ac omnibus quasi sibi loquentibus ad requirendum testamentum Dei voluntatem suam et iustificaciones eius assurgat, si eum homo considerat. Non est res creata, que non distat ab altera; et convenit quodammodo cum ea angelus, namque cum homine convenit in rationali; convenit cum celo in esse creato, convenit homo cum brutis in sciendo, cum plantis in vegetando et conformiter in aliis creaturis suo modo discurrendo.

Distat autem angelus ab homine, ut ita dicam, per infinitam distanciam, quia nunquam homo mutatur naturaliter in speciem vel in naturam angelicam, licet meriti eiusdem esse possit. Distat lapis ab homine, quia ad perfeccionem ipsius nunquam perveniet, etsi sine infinitum in suis naturalibus intendatur. Et ecce conveniencia et distancia in rebus creatis apparet, ita quod [f. 315v] unum excedit alterum quandoque natura, quandoque virtute, quandoque fortitudine, quandoque operatione, quandoque potencia.

Hec autem quid arguunt, nisi quod ordo sit in rebus, ut superiora purgent, illuminent et perficiant media et infima;

ideo namque leges et testamenta promulgata sunt, ut vicia purgentur, ut ceci lumen recipiant et debiles in fide robur assumant.

Verum, quia *homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis* [Ps 48, 13; 48, 21], *inpinguatus, incrassatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum* [cf. Dt 32, 15]; nolens intelligere, ut bene ageret, mutavit superiora in infima, *mutavit gloriam suam*, quam a Deo creatus accepit, *in similitudinem vituli comedentis fenum* [Ps 105, 20]. Ipseque qui prelatus universis fuerat corporalibus conditis, inferior omnium est effectus.

*Miserator et misericors Dominus* [Ps 102, 8; 144, 8], ut ipsum restitueret in integrum, *statuit ei testamentum legis*, ut legens et intelligens non abiret post deos alienos, non caderet a gradu suo nec ab ordine, sciretque quid acceptum esset coram Deo omni tempore.

Sed homo inutilis et pravus ab adolescentia in malum, etsi habuit testamentum legis, dum tamen sensit testamentum pacis, quia nondum *pax venerat in terram hominibus bone voluntatis* [Lk 2, 14] tamdiu pacem veram non potuit habere, *donec veniret, qui mittendus [b] erat, expectacio* [cf. Gn 49, 10] et salus omnium, mediator Dei et hominum, Verbum Patris Christus Dominus, qui firmando testamentum legis, moriturus in cruce condidit testamentum pacis, quod ipsius testatoris obitu immobile perseverat. Et quia in testamento requiritur tabellio et testes VII secundum iura, salvator noster non solum testes VII, sed ita et universos testes adhibuit, quibus dixit: *Vos eritis mihi testes in Iudea sive Samaria et usque ad extremum terre* [cf. Act 1, 8]. Sed quid reliquit amandus testator in testamento aut quem

<sup>1</sup> Sermon no. LXV in Kuzmová, *Preaching Saint Stanislaus*.

<sup>2</sup> *Ideo statuit illi testamentum pacis, principem sanctorum et gentis sue, ut sit illi et semini eius sacerdotii dignitas in eternum.*

<sup>3</sup> Ps 67, 36.

heredem instituit? Revera, non unum, sed omnes electos heredes instituens, iuxta illud Apostoli [Rom 8, 17] *Heredes Dei, coheredes autem Iesu Christi*, regnum celorum relinquit, divisit et de eodem disposuit, super quod dixit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum* [Mt 5, 3]. Hinc etiam et Christus ait [Lk 22, 29-30]: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* et concludens summam testamenti *accepit panem, benedixit ac fregit deditque discipulis suis dicens: hoc est corpus. Similiter et calicem postquam cenavit, dicens hic calix meus novi testamenti.*<sup>4</sup>

Sed dicis: Ubi tabellio in hoc testamento? Nempe terne non unum. Ecce Mattheus et Iohannes, qui testamentum manu fideli scripserunt, quod factum et sapienter dispositum racionabiliter testatoris obitu est firmatum. Iam itaque non revocabitur, quia a firmo venit, firmiter edificatum est [**f. 316r**] et stabilitum et firmissime consummatum. Quare vetus testamentum legis cessavit? Quia scriptum est: *Novis supervenientibus vetera proicietis* [Lev. 26, 10]; et iterum: *Ecce nova facio omnia* [Ap 21, 5].

Unde et Dominus per prophetam loquitur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo testamentum novum super domum Israel et super domum Iuda, non solum testamentum, quod dedi patribus eorum, cum educerem eos de terra Egypti, sed dabo leges in mentes eorum* [cf. Heb 8,8-10].

Sed nimirum, licet istud testamentum omnibus electis disposuit, principaliter tamen apostolis eorumque successoribus episcopis, dicente Psalmo [44, 17]: *pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram*, qui ordinaverunt tempora sua bona odore offerentes sacrificia in iusticia [Mal 3, 3]. Et quia Deo fuit cura de omnibus, *in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terre verba eorum* [Ps 18, 5; Rom 10, 18], exivit in omnem terram testamentum pacis, quod disposuit tempore sceleratissimi Boleslai electo suo presuli et martyri sancto Stanislao. Sibi namque influxit secreta novi et veteris testamenti, ita ut *sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo* [Dt 32, 13], sibi secreta testamenti aperuit et que archana erant ostendit, quoniam

ipse velut scriba doctus in regno militantis ecclesie protulit de thesauro [**b**] testamenti nova et vetera,

ipse stabularius, qui ad curacionem vulnerati protulit duos denarios quos a Samaritano accepit [cf. Lk 10, 33-37],

ipse liber scriptus intus et foris [cf. Ez 2, 9; Ap 5, 1] virtutibus, cuius operimentum est omnis lapis preciosus [cf. Ez 28, 13], in quo quidquid ad perfeccionem episcopalem pertinet, est repertum.

Ipse in testamento Dei meditabatur die ac nocte, et si vis scire, audi qualiter, ut patet, videantur opera sua bona et glorificaretur Pater celestis. Ecce namque Apostolus 1 ad Thimotheum IIIo [1, 2-5, cf.] inquit: *oportet episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris virum sobrium et prudentem, pudicum, ornatum, hospitem, doctorem, non ut vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sue domui bene prepositum.* Et eandem regulam tradit in epistula ad Thitum [1, 7-9, cf.], licet aliquantulum variat aliqua, ubi ait: *oportet episcopum esse sine crimine dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est.*

Quere, lege vitam istius sancti, attende signa, obstupesce prodigia, et videbis quod nedum in flore premissa puncta regule apostolice, sed et in maturitate reperies. Vide ingressum ad cathedram, cerne progressum in cathedra, contemplant egressum in agone.

---

<sup>4</sup> Mt 26, 26-28; Lk 22, 19-20; 1 Cor 11, 23-25.

Ipsa namque attendens, quod prelacio non est instituta contra bonos sed ad coercendos [316v] malos; XXII di. “De Constantinopolitane”;<sup>5</sup> coercendo nequiciam Boleslai *certavit usque ad mortem* [cf. Sir 4,33], ut testamentum pacis sibi dispositum conservaret; scivit namque quod non in altitudine graduum, sed in amplitudine caritatis possidetur regnum Dei, De temporibus, et d aures<sup>6</sup> in fine XL di. “Non loca”;<sup>7</sup> scivit quod *vilissimus computandus est* qui est gradu alcior *nisi sit sanctitate prestancior*; I q. I “Villissimus”;<sup>8</sup>

scivit quod *vita pastoris debet esse exemplaris subditis*; II q. VII “Cum pastor[is]”<sup>9</sup> In se ipso enim debet ostendere qualiter alios in domo Dei oporteat ambulare et integritas prelatorum est salus subditorum, quia ecclesiasticus ordo nutat si quid reperitur in corpore, quod non invenitur in capite, LXI di. “Miram[ur].”<sup>10</sup> Et ideo hoc attendens iuxta sibi creditum officium fecit erga subditos sollicitam custodiam, VIII. q.1 “In scripturis”<sup>11</sup>; infirmos roborando, *discordantes concordando*, XC di. c.1;<sup>12</sup> et XLV di. “Recedite”<sup>13</sup>; fuit severus contumacibus, sed benignus penitentibus.

Requiritur nempe, quod episcopus in se sit bonus ut est visum, requiritur ut sit forma aliorum quia quod agitur a prelatis faciliter in exemplum trahitur subditis, nihil namque in hac vita laboriosius et apud Deum graciosius quam esse bonum prelatus et nihil esse miserabilius quam esse [b] malum, XL di. “Ante omnia”.<sup>14</sup>

Et nos igitur dilectissimi, cum habeamus pontificem, *qui interpellat pro nobis* [cf. Rom 8, 34], cum habeamus pastorem, qui *pro ovibus suis posuit animam suam* et pro grege suo mori dignatus est, cognoscamus, quia pastor noster est et patronus et sollicite intendamus, ut quemadmodum ipse secutus est universalem pastorem Iesum Christum *non declinando nec ad dextram nec ad sinistram* [cf. 2 Rg 2, 19; 2 Par 34, 2], ita nos recto tramite transire oportet.

Sed nimirum incessit pastor plenus virtutibus, qualiter ipsum sequetur ovis plena turpitudinibus, qualiter concordant sobrius pastor ovis ebria, castus presul ovis adultera, benignus pastor ovis litigiosa, liberalis pater porcus subditus. Pius episcopus, impius sacerdos, pater bonus, filius nequam, qualiter ascendet grex que vadit per invia, que querit latibula, quia debilis in fide, inutilis in spe, nulla in caritate, nempe non *ascendet in montem sanctum Domini* [cf. Ps 23, 3].

Ecce nempe fides huius sancti presulis mortuos suscitavit, ecce redactum in cineres ad vitam vocat – ecce latitudo fidei!

Videte igitur et probate, si estis solidi, si vos a vero error non retraxit in devium; si vanitas a spe non precipitavit in abyssum; si stultus amor a calore Dei non ammovit et ideo probate et videte [cf. Ps 33, 9], si estis digni tanto pastore et pastore,<sup>15</sup> si grati de miraculis; si grati de vita, si grati de triumpho [317r]. Videtis enim thesaurum preciosum *super aurum et topasion*

---

<sup>5</sup> “De Constantinopolitana”: [Decreti pars prima] D. 22, c. 4: “De Constantinopolitana ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet sedi apostolicae esse subiectam! Si tamen quid boni vel ipsa, vel altera ecclesia habet, ego et minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim, qui in eo se primum existimat, ut bona, que viderit, discere contempnat. Idem eidem: [epist. 64.] Nam quod primas Bizanzenus sedi apostolicae dicit subici si qua culpa in episcopis invenitur nescio quis ei subiectus non sit; cum uero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis equales sumus.”

<sup>6</sup> Unclear: perhaps referring to the following citation: “dicit Anastasius” or “de ordines”

<sup>7</sup> [Decreti pars prima] D. 40, c. 4: “Item Anastasio presbitero. Non loca vel ordines creatori nostro nos proximos faciunt, sed nos aut merita bona coniungunt, aut mala disiungunt.”

<sup>8</sup> Cf. [Decreti pars secunda] C. 1, q. 1, c. 45.

<sup>9</sup> [Decreti pars secunda] C. 2, q. 7, c. 58.

<sup>10</sup> [Decreti pars prima] D. 61, c. 5.

<sup>11</sup> Cf. [Decreti pars secunda] C. 8, q. 1, c. 18. (“...de scripturis probabo...”)

<sup>12</sup> [Decreti pars prima] D. 90, c. 1.

<sup>13</sup> [Decreti pars prima] D. 45, c. 16.

<sup>14</sup> [Decreti pars prima] D. 40, c. 7.

<sup>15</sup> Sic. Possibly patrone instead of pastore

[cf. Ps 118, 127], palpate membra Spiritus Sancti et organa! Influxit enim Deus multa prioribus temporibus, nempe influeret et nostris, si detestanda ingratitude non poneret obicem. Bene gratias Domino agentes de tanto patrono dicamus:

Domine Deus formator et redemptor Iesu Christe,

tu carne indutus multa fecisti prodigia, dedisti tamen sancto Stanislao, ut maius quodammodo faceret

tu quidem Lazarum quadriduanum, ipse quadriennium Petrum,<sup>16</sup>

tu magnus in te, magnus in servo,

tu a mortuis integer surrexisti; tu corpus martyris cesum tyrannice integrasti;

tu passus multa, hic factus<sup>17</sup> non modica;

tu omniquaque vulneratus, ipse membratim sectus;

tu custodiam corpori suo aquilarum deputasti, quam tamen tibi subtraxisti;

tu lanceas et claves, iste gladios et cultellos;

tu verbera et vulnera, iste similiter, quamvis non ita late et tam dure.

Et ecce iuxta tuam sententiam: *ubi tu es* [cf. Jn 12, 26], iam velut *fidelis servus et prudens* [Mt 24, 45] residet in patria. Ad quam.

---

<sup>16</sup> viz. suscitavit

<sup>17</sup> Sic. Possibly sanctus.